



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Chronologia Monasteriorum Germaniæ Præcipuorum Ac Maxime Illustrium

Brusch, Kaspar

Nürnberg, 1682

Ursperingum Monialium nobilitate generis conspicuarum insigne
Cenobium, ..., miliare infra Ehingum Austriæ principum civitatem, ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-38166

vit, ita omni ornamentorum genere illustravit ac ditavit, ut merito secundus ejus fundator haberi & dici possit.

Hunc non ausim ego nunc multis celebrare Camenis,

Quandoquidem salvo corpore vivit adhuc:

E seculo verum hoc in caeli templa vocatum

Illustrabit cum carminis omnis honor.

URS PERINGUM Monialium nobilitate generis conspicuarum insigne Cenobium, Constantiensis dioceseos, ordinis verò D. Benedicti, militare infra Ehingum Austria principum civitatem, & propè Schelckhelinum arcem, & oppidum eorundem, in amoenissimo agro, inter altissimos montes, ad limpidissimas saluberrimasque gelidissimarum aquarum scaturigines situm: quarum autor S. Ulricus Episcopus Augustanus bacillo eum locum percuciens, & aquas eliciens, fuisse perhibetur: à quibus item nomen contigit Monasterio, ut ad Scaturigines vulgo dicitur. Id fundatum creditur initio temporibus S. Ulrici Episcopi, ab ejusdem parentibus, postea verò auctum est à Germanis nobilioris prosapia militibus Rudigero, Adelberto equite auro, & Walthero Dominis de Schecklingen, villa & castro. Commendatum verò curæ & visitationi Wernheri Abbatis in Monasterio S. Georgii Sylvæ nigræ, anno Christi 1127. primo scilicet anno Imperii Lotharii Regis, qui Henrico quinto successit. Hic domini dederunt nominatum locum Urspringensem, cum Ecclesia ab annis anterioribus, ut est in diplomate, in eo loco constructa Deo & S. Georgio pro animarum suarum remedio. Actum in villa Ehingen. Postea cum misere vastatum esset Monasterium, ferroque & incendio deletum, circa annum Domini 1250. à fautoribus Friderici Imperatoris, Pontificæ sedis acerrimi persecutoris, dedit paulò post Pontifex Maximus, Alexander quartus ingentia privilegia, ad Monasterii collapsi reedificationem, tamdiu usurpanda, donec ducentarum marcarum argenti summa conficeretur: Ut habetur in diplomate, quod datum est anno quarto sui Pontificatus, hoc est anno 1258. Duces Austriae sunt Monasterii advocati & tutores, primus fuit Rudolphus, anno 1360. Huic successit Leopoldus dux Austriae anno 1379. & fuerunt semper fidei

*Austriae
duces monasterii
Urspergensis
Advocati.*

fidi tutores usque ad hæc nostra tempora. Anno Domini 1312. dono dedit Comes à Schelckelingen Udalricus cum suorum filiorum, Comitum Henrici & Chunradi unanimi consensu, S. Udalrico & honestissimo Monasterii Urspringensis conventui, libere absque omni impugnatione, aut molestatione, possidendam aquarum illam insignem scaturiginem, cui adjacet Monasterium cum plenaria piscandi jurisdictione & potestate, usque ad finem fontis, dicti, ad salices Molendini, vulgo Mulisfelber. Dedit item montis adjacentis Lutzelberg dicti, haud mediocrem partem, & molendinum Schelckhelingenfense, omnia cum summa & irrefragabili potestate, & libertate possidenda. Orta autem aliquando contentione inter magistrum Cœnobii, & quendam Ludovicum à Freyberg, præfectum Schelcklingenfem de jure piscandi, ab Imperatore Maximiliano anno Christi 1508. talis sententia lata, & publico diplomate perscripta est, ut utraque pars à piscatione cesset, donec à personis ad definitivam in ea re sententiam ferendam ordinatis, lis componeretur, utrique tamen parti jure suo reservato. Hodie in simili ferè lite pendent ejusdem loci Moniales: pro quibus orantem ipsum fontem in carmine quodam, sic introduximus:

*Fons ego ab Ulrico monstratus præfule quondam,
Urspringensibus hic virginibusq; datus.*

*Conqueror ex animo, & lachrymor meastristia fata,
Virginibus cum sim nunc ita ademptus ego.*

Ut pisces, quos hic ego nutrio, nobiliores

Non ausim digitis prendere ut ante suis.

Quas nec jura equidem, nec legum vincula contra,

Quorundam injustam vimq; facesq; tegunt.

At tu rex Fernandè, & tu quoq; Carole Caesar,

Rebus subvenies hac quoq; parte meis.

Meq; meis etiam reddes dominabus honestis,

Reddere suppresso qui sua cuiq; soles.

Quodq; tui quondam majores constituerunt

Esse fines etiam nunc quoq; ut ante ratum.

Benefactores hujus Monasterii fuerunt : Erhardus Baro à Kungseck, cum conjugè D. Geneva ab Hirnheim. D. Guolphgangus à Lapide cum uxore Elysa, Comitissa de Gundelfingen. D. Conradus à Lapide cum uxore, filiis & filiabus suis. Conradus, Eberhardus & Henricus de Oeneburen anno Domini 1178, qui dotarunt quibusdam bonis prædiis sorores, & conversos habitantes in Monasterio Urspringen. Cujus Magistratum (sic enim gubernatrices vocantur) talis est Catalogus :

1. D. *Irmeltrudis*,
2. D. *Irmelgardis*.
3. D. *Hiltrudis à Tieffen*.
4. D. *Adelheidis à Lapide*.
5. D. *Udilhildis Fulchina à Tieffen*: Præfuit ab anno Domini 1360. ad annum usque 1373.
6. D. *Margaretha Balhoczin* eligitur anno 1373. præfuit duobus annis.
7. D. *Elisabetha Leudolphina* eligitur anno 1376. præfuit annis 20.
8. D. *Anna de Lapide* eligitur 1396 præfuit annis 26. Obiit anno 1422. eodem die, quo & frater ejus Germanus Guolphgangus à Lapide Abbas duplicium aquarum.
9. D. *Anna à Westernach* eligitur anno 1422. præfuit annis decem.
10. D. *Ursula de Lapide* eligitur anno 1432. præfuit annis 16.
11. D. *Anna ex Dapiferis de Bichshusen* eligitur anno 1448. præfuit annis 14.
12. D. *Grodanna à Fryberg* eligitur anno 1462. præfuit annis 18. Obiit anno Christianæ salutis 1481. Sub ejus administratione cœpit Monasterium reformari.
13. D. *Helena ab Hirnheim* Alberti nobilis herois ab Hirnheim, & D. *Ursulæ ab Honburg* filia : eligitur anno Christi 1481. præfuit annis 15. Obiit anno 1496. fidelis ac utilis Monasterii sui gubernatrix & illustratrix.

14. D. Chunigundis de veteri Fryburgo eligitur anno 1496. præfuit annis 14.

15. D. Cecilia ab Hirnbeym eligitur anno 1511. præfuit annis 14. Obiit anno Christi 1525. illustravit Monasterium variis ædificiis & fideli administratione sui officii.

16. *Dominæ Magdalena à Monte* magnifica, facunda & humaniss. herois; Sigismundi senioris à Monte, & Dominæ Dorotheæ à Kneringen filia: eligitur anno Christi 1525. præest ad-huc laudabiliter currente hoc anno Christi 1551. Sub hujus gubernatione cœperunt Moniales Urspringenses, anno nimirum 1547. (quo Moniales adhuc ibi erant 40.) Musicæ figuræ studeo. *Moniales Musica.* Musici, in quo tantum profecerunt sub Domino Blasio Hippolito, egregiè docto Monacho, ut cum Regiis etiã vel Imperatoriis Musiciis (quod pace tamen ipsorum dixerim) certare possint. *Blasius Musiciis sic in-* Obiit Dominus iste Blasius anno postea 1549. cui Viri optimo ac humanissimo tale à me pro exhibitis mihi beneficiis gratitudinis ergò scriptum, & à Monialibus, positum est Epitaphion:

Blasius Hippolitus conventus Blabyrensis,

Pars aliqua, eximia Vir bonitate potens.

Doctus & humanus, placida quin pacis amator

Maximus, ac patriæ gloria lausq; sua.

Virginei cætus confessor Relligiosus

Hic cubat, at tantum corpore, non animo.

Ad caelos animus patrias concessit in ades,

In quibus angelicis est concio sacra chori.

Illic perpetua cum Christo gaudia vita

Perscipit, & fructus quos habet illa bonos.

Habebat is egregiè ornatum orationale Imperatoris Friderici tertii, ex quo sequentem precationem (quæ optimus Imperator pro filio Maximiliano apud æternum patrem Domini nostri Jesu Christi intercedere est solitus) transcripsi: quam ne intercidat, & pereat, huic loco inserendam statui unã cum carminibus meis: quibus prædictus D. Blasius libellum Divo Carolo V. Imperatori ipsiusq; Fratri Divo Ferdinando Regi offerre decreverat.

LIBEL-

LIBELLUS Precationum Divi Friderici Imperatoris ad Blasium.

*En adsum ante tuos oculos charissima Blasi,
 Teq̄, liber supplici testor & oro manu.
 Redde meis me principibus, quorum optimus olim
 Pulchrè est amplexus me Fridericus avus.
 Te quoq̄, laude ego apud Reges ornabo perenni,
 Officiūq̄, tuum hoc gratus ubiq̄, canam.*

RESPONDET BLASIUS.

*Vade libelle mihi longè charissime: Vade
 Augustos dominos atq̄, require tuos.
 Qui te in deliciis habituri nocte dieq̄,
 Propicia & nobis numina forsan erunt.*

IN IPSUM ORATIONALE.

*Parvulus iste liber Friderici Caesaris almas
 Precationes continet,
 Et quibus ipse Deo verbis pro Maximiliano
 Suo, egerit quoq̄, gratias.
 Austriacam pietate domum qua ornârit, & ipse
 Dicaverit Patri Deo.
 Ha quia te Fernande preces, te Carole Quinte
 Deliniant & asserunt:
 Justius hunc habet, & circumfert nemo libellum,
 Quàm vos beati principes,
 Quos Fridericus in his precibus depingere pulchrè, &
 Monstrare ceu digitis solet.
 Vos hunc Augusti divi, Regesq̄, potentes
 Et Caesares piissimi,
 Non modo sumite clementer, sed saepe libellum
 Deorum ad aras volvite.
 Sic pater ille Deus qui Divo Maxmiliano
 Ubiq̄, promptus astitit.*

Vos quoq. (ut hæcenus) eximia bonitate forebit

Contra hostium omnium faces.

Subjiciet vestrisq. aliquando nepotibus orbem

Quam late totus is patet.

Vivite felices Augusti, vivite tati

Sub optimi clypeo patris

Vos metuat, vobis subseq. occasus & ortus,

Et quicquid orbis ubiq. habet.

*Sequitur Precatio Divi Friderici Tertii,
Imperatoris.*

Nunc dimittas servum tuum Domine ad pacem & tranquillitatem, quam prædestinasti mihi secundum magnam misericordiam tuam Deus meus; quia viderunt oculi mei salutare tuum, quod ex me parasti tuo populo Christiano, ad tuorum inimicorum destructionem, filium meum Maximilianum inquam, lumen oculorum meorum, & baculum senectutis meæ, super quo innixus quietem sumam optatam. O Deus meus! O misericordia mea infinita! O misericordia immensa: quoniam non derelinquis in finem quærentes & invocantes te. Quas igitur laudes ac gratias tibi dicere possum, indignus de tanta gratia & munere? Si ex toto corde meo ajo: si ex omnibus viribus meis dicere velim, nil facio de meo, quoniam tua sunt omnia, & ego totus tuus sum, & tua creatura: Omnia denique tibi jure debentur bona, quoniam à te sunt facta. Accipe tamen secundum clementiam tuam immensam, & secundum dignationem tuam infinitam, de servo tuo, quod tuum est, tibi que debetur æternas & immortales gratias, qui & hanc misericordiam fecisti cum indigno servo tuo, sicuti fecisti cum servo tuo David, ut poneres super sedem meam de fructu ventris mei, in conspectu meo, & super thronum filium meum post me regnaturum populum tuum, sanguine tuo pretioso redemptum. Et nunc tu Domine Deus, cæli & terræ creator, & gubernator liberalissime, audi orationem meam, ut impleas eum spiritu sapientiæ & intellectus, fortitudi-

Kkkk

nis &

nis & iustitiæ: sicuti Salomonem filium servi tui David: ut possit hæreditatem tuam in unum aggregare, unire, pacificare, custodire ac gubernare: Hostes tuos hereticos, schismaticos & infideles ad viam reducere veritatis: Rebelles & obstinatos compescere, & extirpare, fidelem populum tuum ac cultum tibi debitum ampliare & augere. Benedic & sanctifica ipsum benedictione patrum Abraham, Isaac & Jacob, ut multiplicetur semen suum super terram, sicut stellæ cæli. Manus ejus fortes fiant in cervicibus inimicorum tuorum: Diligant eum tribus ac populi ac omnes nationes fideles: accurrant sibi armata auxilia in tempore opportuno. Comitentur eum Sancti Angeli tui Michaël, Gabriel, Raphaël: Sitque illi semper victoria de cælo tuo, sicut & Achatio, & Georgio, Duce S. Mauritio, quatenus pacificatis terris Christianis obtineat terram passionis tuæ sanctæ, despectui & ludibrio tam diu subjectam. Nunc enim, ut spero, tempus venit, & venit tempus miserendi, quo Christiana multitudo capta & subacta immanissimo ac turpissimo Turco, terraque sancta tua liberabitur per manum meam, & filii mei, post me. Da igitur nobis Domine Deus omnipotens, qui aufers spiritum principum tyrannorum, & destruis consilia Regum impiorum, potentiam & virtutem, ut hereditatem tuam, & terram sanctam sepulchrumque tuum (quod vidi meis indignis oculis) possideamus in sincera bonitate, ac pura innocentia tibi semper serviamus, semper te sequamur, te diligamus, tibi semper adhareamus, te nunquam deseramus, ut à te nunquam deseramur, sed ad te, post labores, & sudores nostros, quietem perveniamus æternam, Amen.

Blabyra.

Est ad earundem in Urspringo scaturientium aquarum versus Blabyram (ubi cum Blavo fluvio miscentur) descensu, medio itinere inter Urspringum & Blabyrense oppidum; infra Scheldelingum, aliud Monialium, etsi exiguum saltem, Cænobium, Wilerinum vel Villicum dictum, instituti hodiè Franciscani. Ejus loci templum extitisse legitur, anno Domini 1155. Tunc enim consecratum est in honore Domini nostri Jesu Christi, semperque virginis Matris, Sanctorum item Nicolai, Egidii, Laurentii

Vuyler

Cænobium

Monialium

rentii, Cæsarii, Wenceslai, Ceciliae, Zoæ, ac undecim millium virginum ab Episcopo Aldenburghensi Geroldo, in ipsis Calend. Septembribus. Erat tunc temporis in ea ipsa vicinia castrum nobilium virorum à Wiler, qui recens condito & consecrato templo, donarunt Eleemosynas quasdam, quibus alerentur, qui Deo illic servituri essent. Ex hac itaque arce prodiit tandem post multorum annorum curricula, prima Cœnobioli hujus inchoatrix, honesta & pia virgo Adelheidis, quæ domunculam templo contiguam construens, eidem sese inclusit, ac sola ibi, precibus jejuniisque per annos quadraginta sese macerans, clementem, & sibi, & aliis sese Deum hac vivendi ratione facturam sperabat. Mortua hæc anno Domini 1280. apud Blabyram sepelitur, ubi tum conventus erat sexaginta sororum.

Successit ei alia Adelheidis, quæ Romam petens impetravit ibi cum quadam eleganter picta tabula confirmationem pontificiam: qua munita domum rediens, domunculam primam priorum subsidiis ampliavit, & paulo elegantius sibi contubernium condidit, in quo & ipsa, inter jejunia & pias preces, vixit quadraginta annis, & universæ tandem carnis viam ambulavit, annum Domini circiter 1320.

Post eam tertia accessit, Guta dicta, quæ itidem domunculæ isti inclusa servivit ibi Deo sub solitariae vitæ professione annis 37. Quæ etiam rebus humanis exempta, quarta venit ex Blabyrensi oppido Adelheidis Toblerina, quæ inclusa anno 1357. vixit ibi solitaria 18. annis. Circa hæc ipsa tempora erat nobilis ac religiosa quædam virgo Gertrudis Schuvellerina, quæ in arce Gerenhusiana 20. annis fideliter Comitissæ cuidam ad Helfenstein serviverat: Hæc cum aliquoties apud inclusam sororem Wilerianam fuisset, cujus devota & pia conversatione maximè gaudebat, ac delectabatur: accederent verò & germani fratris Bertholdi Schuelleri sacerdotis Eslingensis, crebræ hortationes, mundo valedicens, anno Domini 1374. ad Wylerium venit, petens ut susciperetur in piæ sororis consortium.

Kkkk 2

1. Hæc

1. Hæc *Gertrudis* prima conventus inchoatrix, plures focias assumfit, donec fieret numerus tredecim sororum. Hæc fundatrix Sacri, & habitationum ampliatrix 25. annis cum summa feveritare, sub matris nomine, sororibus de manuum suarum labore viventibus præfuit. Obiit anno Domini 1400. ætatis suæ sexagesimo, prima quæ in consecrato ejus loci cæmiterio humata est. Successerunt ei in hac gubernatione ad hæc nostra usque tempora, honestæ ac prudentes mulierculæ.

2. *Anastasia* à *Westerstetten* nobilis Domina.

Wunderkingen.

3. *Anna* à *Wunderkingen*, oppido non procul à fontibus Danubii sito.

4. *Clara Hefina.*

5. *Catharina Eques.*

6. *Adelheidis Ufswaltina* ex Blabyrensi vicino admodum oppido nata: cujus temporibus anno videlicet 1475. cepta est ædificari ea Domus satis elegans & ampla, in qua his temporibus habitant 21. sorores.

7. *Agnes Ganserina.*

8. *Corona Sartrix* ex *Wellenburgo* nata, quæ tandem decessit anno Domini 1545. cum multis annis prius resignasset.

9. *Euphrosine Ethnica*, Patricia Ulmenfis, quæ obiit anno 1531.

10. *Magdalena Megeheertina*, ex *Ehingo* nata, eligitur anno Domini 1538. multa passâ à *Wirtembergensibus*, à quorum principe, omnia, quæ Cænobioli fuerunt, eo quod à religione sua pristina discedere, & literas suas dare nollet, occupata & violenter usurpata sunt, per annos undecim, quibus nunc feliciter recuperatis, hoc adhuc præsidet corrente jubileo, ætatis suæ anno 60.

UTENBURGA I. Ottenbura, in Guntiana valle, ad Guntium Lamnem situm, olim oppidum, & castrum Comitum Illegoviz, nunc verò Monasterium præpotens ac pulcherrimum, ordinis D. Benedicti: fundatum est sub Honorio Pont. Max. 12. Monachis, in honorem Dei Opt. Max. principisque Apostolorum Petri, invictissimi que Martyris Alexandri, à Sylacho, Francorum duce, Alemanniæ præfecto, ac Illegoviz Comite, ejusque conjugæ Ermifwinda,